



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAЕ HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 5. Alia Francorum Dynastarum dona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

tribus adamantibus auro mira arte illigatis. scyphi pes smaragdinus auro obducitur, atque substernitur, circa gemmis eximijsque vnionibus adornatus. In Ipsa smaragdini pedis solea, quam auream esse diximus, doni author & causa his litteris incisa.

VT QVÆ PROLE TVA MVNDVM REGINA BEASTI
ET REGNVM, ET REGEM PROLE BEARE VELIS
HENRICVS III. FRAN. ET POLON. REX
ANNO M. D. LXXXIV.

Cæterum occulto Dei consilio preces interdum non audientis ad voluntatem, vt audiat ad salutem, donum ratum, votum irritum fuit.

Alia Gallorum Dynastarum numera.

Cap. V.

DVX. inde Humalæ, vñus è primoribus Galliæ Dynastis, Lauretanam Aedem accessit. Ibi solemnibns mysterijs rite procuratis totum fere quatriduum in augustinissimo facello B. Virginis supplex exegit precibus. Demum Deipara muneribus culta, discessit. Egregium Ducis Pernonij munus subinde Lauretum affertur, memorabili quidem insigne miraculo. Dux Pernonius è Vasconia Lugdunum ad Henricum Galliæ Regem tendens, in via Gioiosæ Ducem offendit eodē petentē. Itaque salute data acceptaque, ambo pariter iter facere coeperunt. Ventum erat ad angustam in præruptis rupibus viam, cum Pernonij equus factus est insolentior, & equi insolentia in Donni caput vertit. Pernonius obstinate se erigentem, iactantemque equum cohibere connixus, de altissima rupe agitur præceps. Pro mortuo sublatus in proximam Lugduno villam propere defertur. Hic omnium amicorum carissimus erat Regi. Rex igitur trepido nuncio excitus accurrit, totamque ibi transgit noctem, summa ope reme-

Vita Brig.

*Ducis Per-
nonij casus*

remedia amicissimo viro adhibenda curans . Et Gioiosa
 vicem amici sollicitus, pro eius salute Lauretanæ Virginis
 votum suscipit . Nec frustra id fuit . Paucis horis interie-
 tis , Pernonius liberius iam meante spiritu, alleuare oculos
 cœpit . inde paulatim redeunte animo , circumstantes
 amicos agnoscere . Ibi Gioiosa, vt illum mentis compo-
 tem , laxataque morbi vi , magnitudinem mali sentire
 vidi , accessit proprius : & bono animo esse iussum monet,
 magnam vt concipiatur spem, sibi Beatæ Mariæ Lauretanæ
 opem affuturam , cui ipsemet paulo ante pro ipso vota fe-
 cisset . Rogitat deinde vtrum id votum ratum habeat . Il-
 le cum voce assentiri non posset , capite annuit . Incredibi-
 le dictu . paucis horis sensus omnes cum voce pariter re-
 cipit . paucis diebus e lecto surgit incolumis . Ergo benefi-
 cijs satis memor , certum hominem suo loco ad exsoluen-
 dam voti religionem destinat exinde Lauretum : per
 eum binos solidi ex argento angelos cubitales dicat , qui
 ad pedes B. Mariæ hinc , & hinc accensis perpetuo ce-
 reis lucerent , monumentoque essent posteris , Lauretanæ
 Virginis ope redditam sibi huius lucis usurā . Hanc Gallo-
 rum Principum pietatem æmulata Claudia Turnonia, ar-
 cis Turnoniæ effigiem argenteam misit , seruatæ ne arcis
 votuum donum , an voluntarium tutelæ Virginis conci-
 liandæ? dono inscriptum .

HOC ARCIS TVRNONIAE.

*Marchio Badensis brachio captus ex vul-
 nere diuinitus personatur ,
 Cap. VI.*

Vit. Brig.

HAUD minor Germanorum Principum in Laureta-
 nam Virginem pietas extitit, quam Gallorum . Ja-
 cobus Badæ Marchio, ex vulnere, quod in Colonensi tu-
 multu plumbea grande ictus in brachio acceperat , ad vi-
 timum